



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Basilius Ponce n. 87

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

præmissæ tristitiae incudes sunt gaudiorum, Nam magis gaudent homines de rebus perditis (*cum recuperantur*) quam semper possessis, teste Christol. ser. 76. Ita mulier inuenta Dragma collætatur, & ipse met Christus, eodem Christol. teste ibid.

Iniuriam passionis, totam transisse sentit in gloriam Resurrectionis. Heroicum hoc opus fecit Alexander (cuius vmbella fuit Macedo) sed fuit non solus, fecerunt & Venetiæ, redeat ad nomen antiquum Praefectura illa Prætorij toto orbe laudabilis, iuxta Cassiodor. supra: fecit & vniuersus orbis Christianus voto suo: fecerunt oppida omnia suis desiderijs: fecerunt Sacerdotes suis lachrymis: fecerunt omnes à sene ad puerum; à Crœso ad Irum conspirantes ad abstergendas lachrymas à pupilla oculorum suorum Societate IESV, cupidissimi huius successus prosperitate. Quod de electione Traiani à Nerua scripsit eius Encomia festi Plinius, hic verius quadrat, Non vnius Neruæ iudicium illud, illa electio fuit: nam qui vbique sunt homines, hoc quidem votis expetebant: ille tantum iure Principis occupauit, primusque fecit, quod omnes facturi erant: nec Hercule tantopere factum placeret, nisi placuisset antequam fieret. Cum ergo sit ista Communis omnibus felicitas, imprimatur, & nota fiat omnibus, ut omnes congaudeant, & inuentam suam dragmam Venetijs, & suum Thesaurum Societati IESV congratulentur. Limæ 22. Decemb. 1657. Hæc ille.

87. A BASILIO PONTIO Scriptore doctissimo, qui cum simplicita vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientie, que in Societate post biennium prolata, Religiosum efficiunt, accusata essent nouitatis, in varijs, quest. 3. Scholastica, ita concludit: Ex dictis in tota disputatione colligitur laudabile Institutum Societatis IESV hisce temporibus magno Reipublicæ Christianæ commodo destinatum, non esse nouum, sed primæuum in Religione seruatum viuendi genus: ac proinde hallucinatos esse valde, & ignorantia lapsos, qui eiusmodi Instituto verae Religionis & nomen, & rationem adimebant. Nam si vetera

*Ex quibus  
in maiorem  
gloriam  
assurgit.*

*Omnium  
vota de eius  
restitutione  
in Vene-  
tiam.*

*Laudabile  
Societatis  
Institutum  
magno  
Christianæ  
Reip. com-  
modo desti-  
natum.*

*Vindicatur  
a calum-  
niis.*

rum scripta euoluissent diligentius, hanc viuendi normam Societatis IESV, quoad eam partem, quæ constat Votis simplicibus post biennium emissis in Religione approbata, eiusdem prorsus rationis esse cum primis illis exordijs Monachis, & antiquo statu Monachorum Basilij, Augustini & Benedicti, comperissent. Hactenus Basilius Pontius seculi nostri, & antecedentis felix prodigium. Ita apud P. Gabrielem Henao de scien-  
tia Media Historice propugnata num. 147.

*Ignatius,  
Societas,  
& Nomen  
laudentur.*

88. A PROSPERO STELLARTIO, *In Fundamentis ac Regulis omnium Religionum cap. 38. fol. 544. loquens de Societate, hoc præclarum edidit ille testimonium.* Inter præclaras, quæ Christo militant Religiones haud mediocrem locum sortitur Societas IESV. Autorem habuit Virum Sanctitate præclarum, iamque in canonem relatum Ignatium de Loyola genere noblem, domo Cantabrum, &c. Huius autem Sacrae Societas sectatores apud Hispanos, & Italos Theatini passim vo-  
ciferantur: male tamen, cum Institutum Theatinorum sub S. P. N. Augustini regula merentium fundatorem habeat Petrum Caratam Neapolitanum Episcopum quondam Theatinum, vnde nomenclatura dimanauit. Franci, atque Nostrates Belgæ Iesuitas appellarent, nobili quidem Nomi-  
ne, &c. Cæterum huius Illustris Societatis IESV præcipuum studium est Ecclesiæ inter varios Hæreticorum assultus qua-  
satæ, ac periclitanti totis nervis succurrere, docendo, prædi-  
cando, scribendo, fidelium confessiones audiendo: quibus in munib[us] præclari admodum inter eos enituere viri, quo-  
rum plures Indos, & Iapones Euangelij face collustrauere.  
*Hac scriptor grauissimus.*

*Huius stu-  
dium, Ec-  
clesia inter  
Hæretico-  
rum assul-  
tus pericli-  
tanti suc-  
currere.*